Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35120
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

missi Beatus vir etc. scilicet hic per
spem et in futuro per rem qui im-
plevit etc. ex ipsis scilicet filiis
excussorum qui recipit perfecto
desiderio verba eorum et exem-
pla. Et talis non confundetur. Sed
potius triumphat per gaudium
ubi cum loquetur inimicis
id est adversariis in porta id est in loco
publico et patenti. Magister Ny-
colaus de Lyra exponit hunc
psalmum de templo per Salomonem
edificato et patet de se etc.

Beati omnes qui timent dominum.

Sequitur psalmus 127.
·127· Cuius talis est titulus Canti-
cum graduum et patet. Nonus
·9· gradus gradus est ut dominus qui solus
edificat custodit et exaltat
caste timeat de quo loquitur
ille psalmus. Duas habet partes. Primo
beatitudinem timentes enuntiat. 2° bene-
dictionem timentibus optat ubi Be-
nedicat tibi dominus. Ad timorem
igitur dei monens sic dicit
Beati scilicet timore casto et filia-
li. Et qui sunt isti exponit
dicens Qui ambulant etc.
id est in mandatis tuis per observan-
tiam que sunt quedam vie
veniendi ad deum. Et dicit glo-
sa a pluribus incipit dicens
Beati omnes etc. Sed quia omnes
unum sunt in Christo singulariter
loquitur Labores manuum quia man-
ducabis scilicet in presenti bonus es
scilicet etiam in presenti de labore.
Et bene tibi erit scilicet in futuro
propter de fructu. Uxor tua
ad litteram potest accipi de habun-
dantia bonis et pulchritudine
et patet. Sed quia hoc non con-
venit misticis timentibus deum

Ideo etiam mistice potest intelligi
sic Uxor tua id est sensualitas
sic vitis habundans id est bene fer-
tilis est racemis filii tui id est opera
tua per te facta. Sicut novelle oli-
varum que virent oleo caritatis
In circuitu mense tue quia qui talia
operantur pane celesti reficiun-
tur. Vel quod mutata persona
et loquatur de Christo sic dicens
O Christe Uxor tua scilicet ecclesia
etiam sponsa tua sicut vitis
etc. et patet de se. Ecce sic bene-
dicetur homo scilicet sicut premissum
est q. d. Ideo omnes timete. Bene-
dicat tibi etc. Secunda pars ubi time-
tibus benedictionem optat dicens
Benedicat tibi scilicet o timens dominus
ex Syon scilicet celesti benedictione.
Et videas bona Jerusalem scilicet celestis
Et videas etc. id est fructus bonorum
operum vel eos qui de tua doctrina
sunt geniti. Ut hoc bene comp-
hendam videas pacem id est omnia
bona future patrie que per pacem
non intelliguntur. Et magister Ny-
colaus de Lyra concordat etc.

Sepe expugnaverunt me.

Sequitur psalmus 128 cuius 128
talis est titulus Canticum gra-
duum ut superius. 10us gradus est
Ut qui caste timet per eo omnia
patienter ferat quod unum expe-
dit ecclesie in statu presentis vite.
Duas habet partes. In prima parte ad
consolandum infirmiores ostendit
quid passus fuerit. 2° de-
precationem persequentium agit
ubi Dominus iustus. Primo igitur in
persona ecclesie quasi infirmiorum
respondenti sic dicit Sepe
etc. q. d. O filii non possunt banni